

tela iugo vincta est, stamen secernit harundo,
 inseritur medium radiis subtemen acutis,
 quod lato paviunt insecti pectine dentes.

Quid si contigisset illi videre has nostri temporis telas, in
 quibus vestis nihil celatura conficitur, in qua non dico nullum 5
 21 corpori auxilium, sed nullum pudori est? Transit deinde ad
 agricolas nec minus facunde describit proscissum aratro solum
 et iteratum quo solutior terra facilius pateat radicibus, tunc
 sparsa semina et collectas manu herbas ne quid fortuitum et
 agreste succrescat quod necet segetem. Hoc quoque opus ait 10
 esse sapientium, tamquam non nunc quoque plurima cultores
 22 agrorum nova inveniant per quae fertilitas augeatur. Deinde
 non est contentus his artibus, sed in pistrinum sapientem
 summittit; narrat enim quemadmodum rerum naturam imi-
 tatus panem coeperit facere. 'Receptas' inquit 'in os fruges 15
 concurrens inter se duritia dentium frangit, et quidquid ex-
 cidit ad eosdem dentes lingua refertur; tunc umore miscetur
 ut facilius per fauces lubricas transeat; cum pervenit in ven-
 trem, aequali eius fervore concoquitur; tunc demum corpori
 23 accedit. Hoc aliquis secutus exemplar lapidem asperum aspero 20
 inposuit ad similitudinem dentium, quorum pars immobilis
 motum alterius expectat; deinde utriusque adritu grana
 franguntur et saepius regeruntur donec ad minutiam frequen-
 ter trita redigantur; tum farinam aqua sparsit et adsidua